

Omelia XLII. in Mattheum Iohannis Chrysostomi interprete Burgundio  
(BAV MS Vat. lat. 383, ff.143ra-145rb)

Aut facite arborem bonam, et fructum eius bonum, aut facite arborem putridam, et fructum eius putridum. Ex fructu enim arbor cognoscitur.

Commented [ND1]: [fol.143ra]

Rursus aliter eos confundit, et non sufficit in prioribus redargutionibus. Hoc autem facit non seipsum eruens ab incusationibus. Sufficiebat enim et quod prius, sed eos corrigere uolens. Quod autem dicit, tale est. Nullus uestrum, neque conquestus est, in his qui curati sunt, ut curatis, neque dixit, quoniam pernitiosum est a demone liberare, etsi enim ualde inuerecundi fierent, non possent hoc dicere. Quia igitur operibus quidem non maledicebant, eum autem qui haec operabatur diabolus aiunt, monstrat quoniam et preter communes cogitationes, et preter consequentiam rerum est haec accusatio. Quod intensae est inuerecundiae, non solum pernitiosa agere, sed et talia componere, que et preter communes sunt intelligentias, et uide eius inaltercabile. Non enim dixit, facite arborem bonam, quoniam fructus est bonus. Sed cum superhabundantia eos oppilans, et mansuetudinem suam et inuerecundiam illorum ostendens, ait, si et operum uultis obliuisci in nichilo prohibeo, solum non in dissonantibus neque in non consequentibus incusate. Ita enim manifestius capiendi erant, ad ualde aperta inuerecundi existentes, quare etsi pernitiosa agitis inquit, et non consequentia uobisipsis dicite. Etenim arboris diiudicatio, a fructu apparet non fructus ab arbore. Vos autem contrarium facitis. Etsi enim arbor fructus est causa, sed fructus arboris est cognoscitiuus. Et consequens erat et operibus detrahare, nos causantes, uel haec laudantes, et nos qui operamur ab his incusationibus eruere. Nunc autem contrarium facitis, in operibus enim nichil incusare habentes, quod est fructus, contrariam de arbore fertis calculationem. Me demoniacum uocantes, quod ultimae est dementiae. Etenim quod antea dixit, hoc nunc instruit, quoniam non potest arbor bona fructus pernitiosos facere, neque contrarium rursus, quare preter omnem consequentiam et naturam eorum sunt incusationes. Deinde quia non pro seipso, sed pro spiritu facit sermonem, et cataphorice utitur accusatione dicens. Genimina uiperarum, qualiter potestis bona loqui pernitiosi existentes? hoc autem simul et incusantis est, et eorum quae dicta sunt demonstrationem ex illis prebentis. Ecce enim uos ait, arbores existentes pernitiose, non potestis ferre fructum bonum. Non igitur ammiror, quoniam haec loquimini. Etenim male nutriti estis, a pernitiosis progenitoribus existentes, et mentem pernitiosam habetis, et uide qualiter diligenter, et sine omni captione posuit incusationes. Non enim dixit qualiter potestis bona loqui genimina existentes uiperarum, nichil enim est hoc ad illud, sed qualiter potestis bona loqui pernitiosi existentes. Genimina uiperarum eos dixit, quia in progenitoribus gloriabantur. Monstrans igitur quoniam nullum eis hinc est emolumentum, a cognatione quidem quae est ad abraham eos eiecit, dat autem eis progenitores unimodos, a superbia quae idem est denudans eos. Ex superhabundantia enim cordis os loquitur, hic rursus deitatem suam monstrat scientem ineffabilia, quoniam non uerborum solum, sed pernitiosarum cogitationum dabunt uindictam, et quoniam nouit ea deus. Dicit autem quoniam et hominibus possibile est haec scire. Naturae enim consequentia est hoc, superemanante intus nequitia, effundi extra per os uerba, quare cum audieris hominem pernitiosus loquentem, ne tantam estimes nequitiam iniacere ei, quantam uerba demonstrant, sed multo amplioem conice esse fontem. Quod enim exterius dicitur, superfluum est eius quod intus est.

Commented [ND2]: [fol.143rb]

Commented [ND3]: uel conuitiatus add. super lin.

Commented [ND4]: uel rationes add. super lin.

Commented [ND5]: uel mansuetudinem add. super lin.

Commented [ND6]: uel etsi add. super lin.

Commented [ND7]: fructuum add. super lin.

Commented [ND8]: uel fructuum add. super lin.

Commented [ND9]: uel demonstratiuus add. super lin.

Commented [ND10]: uel accusantes add. super lin.

Commented [ND11]: uel commentiam add. super lin.

Commented [ND12]: uel increpatiu add. super lin.

Commented [ND13]: [fol.143va]

Commented [ND14]: occasione add. super lin.

Commented [ND15]: id est eiusdem moris add. super lin.

Commented [ND16]: uel noscentem add. super lin.

Commented [ND17]: uel occulta add. super lin.

Commented [ND18]: uel inesse add. super lin.

Vides qualiter eos uehementer tetigit, si enim quod dictum est, ita pernitiosum est, et ab ipsa diaboli mente est, excogita radix, fons uerborum quam magna est. Contingit autem hoc decenter. Lingua quidem confusa multotiens, non repente effundit nequitiam, cor autem nullum hominum habens testem, sine timore quaecumque uult parit mala, dei enim non multa cura est ei. Quia igitur **ea** quidem quae dicuntur, in scrutationem ueniunt, et omnibus preponuntur, **illud** autem coobumbratur, propter hoc haec quidem minora, ea autem quae ab **illo** sunt, ampliora fiunt. Cum autem multa efficietur multitudo eorum quae intus sunt, multo murmure quae interim occultabantur proueniunt. Et quemadmodum uomentes in principio quidem coguntur intus detinere, resilientes humores, cum autem uicti fuerint, multam abhominationem emittunt, ita et qui pernitiosa consilia habent, et proximum incusant. Perfectus homo ex perfecto thesauro ait emittit perfecta, et pernitiosus homo ex pernitioso thesauro emittit pernitiosa. Ne enim utique estimes ait, impernitie hoc fieri solum. Etenim et imperfectitudine hoc contingit. Etenim et illic amplior uerbis quae exterius sunt, intus est uirtus. Ex quibus monstrabat, quoniam et illos pernitiosiores oportebat estimare, quam uerba demonstrabant, et ipsum perfectionem quam quae dicebantur ostendebant. Thesaurum autem ait, multitudinem ostendens. Deinde rursus multum **fundat** timorem. Ne enim estimetis ait, usque ad hoc et diffidentiam multorum hoc stare. Etenim ultimam dabunt uindictam uniuersi qui haec talia deliquerunt. Et non dixit uos, simul quidem commune erudiens genus, simul autem minus honerosum sermonem faciens. Dico autem uobis, quoniam omne uerbum otiosum ait, quodcumque loquentur homines, reddent de eo rationem in die iudicii. Otiosum autem est quod non de re positum est, quod mendax est, quod calumpniam habet. Quidam autem aiunt, quoniam et uanum quale est, quod risum mouet inordinatum uel turpe et inuerecundum. Ex sermonibus enim tuis iustificaberis, et ex sermonibus tuis condempnaberis. Vides qualiter non honerosum est hoc iudicium, qualiter mansuetae sunt noxiae? Non enim ex quibus alius dixit, de te sed ex quibus ipse locutus es, **calculaciones** iudex feret. Quod omnium est iustissimum. Etenim tu dominus es, et dicendi, et non dicendi. Non igitur **accusatos** in agonia esse et tremere oportet, sed **accusantes**. Non enim illi coguntur excusare se pro his quae male audierunt, sed hii pro his quae maledixerunt, et super hos dependet periculum uniuersum, quare eos quidem qui mala audierunt, non sollicitos esse oportet. Non enim tribuent noxias eorum, quae alii dixerunt male. Eos autem qui mala dixerunt, in agonia esse et tremere ceu ipsos ad iudicium pro his attrahendos. Etenim diabolicus est hic laqueus et hoc peccatum. Nullam habens uoluptatem, sed iacturam solum. Etenim pernitiosum in anima thesaurum recondit hic talis. Si autem qui humorem pernitiosum habet, ipse **fructificat** prius egritudinem, multo magis qui id quod **omnibili** est amarius, **pernitiam** in seipso thesaurizat, **ultima** patietur, difficilem congregans egritudinem, et manifestum est ex his quae eructuat. Si enim alios ita contristat, multo magis ea parientem animam. Insidians enim seipsum interficit primum. Etenim qui ignem accendit, seipsum comburit, et ad amantem feriens, seipsum sanguine **fundit**.

**Male** enim aliquid est, qui nouit iniusta pati et ferre uiriliter, ut adamas et stimulum et ignem. Qui autem iniusta facere meditatur, luto omni est imbecillior. Non igitur iniusta pati est malum, sed iniusta facere, et nescire ferre iniusta facientem. Quanta denique iniusta patiebatur dauid, quanta autem iniusta faciebat saul? Quis igitur fortior factus est et beator, quis autem miserabilior? nonne qui iniusta fecit? Intuere autem promittebat saul, si interfecerit allophilum dauid, affinem eum suscipere, et dare filiam ei cum multa gratia. Interfecit allophilum, et transgressus est ille conuentiones, et non solum non dabat, **sed** et interficere temptabat. Quis igitur factus est clarior? nonne hic quidem suffocabatur a tristitia et pernitioso demone, hic autem supra solem fulgebat tropheis et eunya, id est bona mente quae erat ad deum? Rursus in

**Commented [ND19]:** [fol.143vb]

**Commented [ND20]:** cor add. super lin.

**Commented [ND21]:** corde add. super lin.

**Commented [ND22]:** uel construit add. super lin.

**Commented [ND23]:** [fol.144ra] uel sententias add. super lin.

**Commented [ND24]:** uel maledictos add. super lin.

**Commented [ND25]:** uel maledicentes add. super lin.

**Commented [ND26]:** uel adipiscitur add. super lin.

**Commented [ND27]:** id est colera, uel felle add. super lin.

**Commented [ND28]:** id est ipsam add. super lin.

**Commented [ND29]:** spargit add. super lin.

**Commented [ND30]:** Morale xlii.. De auaritia et iniusticia notum in marg.

**Commented [ND31]:** [fol.144rb]

choro mulierum, nonne hic quidem anxiebatur inuidia, hic autem silentio omnia ferens, uniuersos occupauit, et sibiipsi alligauit? Quia autem et ipse accepit eum in manus et pepercit. Quis rursus beatus erat, quis autem miser, quis autem imbecillior, quis autem fortior? nonne hic qui neque iuste superexcessit? Et ualde decenter, hic enim milites armatos, hic autem iusticiam, quae decemmilibus exercitibus est fortior, coadiutricem et auxiliatricem habebat. Propter hoc insidias patiens iniuste, neque interficere sustinebat. Nouerat enim ex anterioribus, quoniam non facere mala sed pati mala, hoc facit fortiores. Hoc et in corporibus fit, hoc et in arboribus. Quid autem iacob non iniusta passus est alaban? quis igitur erat fortior, qui acceperat eum in manus, et non audens tangere, sed formidans et tremens, aut nonne hic qui sine turbis et militibus decemmilibus regibus factus ei terribilior. Vt autem et aliam maiorem hac demonstrationem uobis eorum quae dicta sunt tribuam, in ipso rursus dauid, in contrarium sermonem exercitemus. Hic enim qui iniusta passus est, et fortior factus est, cum iniusta fecisset postea, rursus imbecillior factus est. Quando denique iniusta fecit uriae, translatus rursus est ordo. Et imbecillitas quidem ad eum qui iniusta fecit, uirtus autem ad eum qui iniusta passus est, pertransiit, mortuus enim existens et uiuens nichil ualebat. Ille autem et miles existens et occisus omnia quae illius erant, **superius et inferius** faciebat. Vultis et aliunde quod dico faciam manifestius? Perscrutemur et eos qui iniuste **uindicabantur**. Qui enim iniusta faciunt, quoniam omnibus sunt uiliores suam impugnantem animam, omnibus manifestum est. Sed quis uindicatus est iuste, et decemmilibus accendit mala, et multis seipsum circumfixit calamitatibus? Dux exercitus dauid, hic enim et bellum construxit difficile, et decemmilibus passus est mala, quorum neque unum utique factum fuisset, sed tamen nouisset philosophari. **Fugiamus** igitur peccatum hoc, et neque uerbis, neque rebus iniqua faciamus proximis. Neque enim dixit si accusaueris, et iudicium staueris, sed simpliciter si maledixeris, et **secundum** teipsum, et ita ultimam dabis uindictam. Etsi uerum fuerit quod dictum est, tu autem neque persuasus dicas, et ita punieris. Non enim ex his quae egit ille, sed ex quibus dixisti tu, sententiam deus feret. Ex sermonibus enim tuis condempnaberis ait. Non audis, quoniam et phariseus uera locutus est, et quae omnibus manifesta erant dixit. Non quae latebant reuelans, sed tamen ultimam dedit uindictam. Si autem in **confessis** non oportet accusare, multo magis in ambiguis. Etenim habet iudicem qui deliquit. Ne igitur rapias dignitatem unigeniti. Illi iudicii thronus conseruatus est. Sed uis **discernere**? Est tibi iudicium multum lucrum habens et nullam incusationem ferens, sedere fac in conscientia tua intellectum discernentem. Et affer in medium omnia delicta tua, et inuestiga peccata animae tuae, et expe te cum diligentia noxias, et dic propter quid hoc et hoc, tu facere ausa es? Etsi haec quidem fugerit, quae autem aliorum sunt inuestigauerit, dic ad eam. Non pro his te iudico, non pro his intrasti te excusatura. Quid enim si ille doleat? tu cur hoc, et hoc deliquisti? excusantem se accusa. Quae tuiipsius sunt intuere, non quae aliorum, et continue eam in hanc deduc agoniam. Deinde si nichil habere dicat, sed retardat, dilania, flagella eam, uelut quandam ancillam elatam et fornicatam, et hoc **secundum** unamquamque diem constitue iudicium, et subscribe flumen ignis, uermem uenenum emittentem, alia loca tormentorum. Et ne dimittas eam esse iam cum diabolo, neque patiaris eam inuerecunda dicentem. Quoniam ille ad me uenit, ipse michi insidiatur, ipse me temptat. Sed dic ad eam, si tu nolles, omnia illa superflua sunt, etsi dixerit rursus quoniam corpori copulata sum, carnem induta sum, mundum habito, in terra conuersor, dic ad eam, quoniam haec omnia occasiones sunt et causationes. Etenim ille carnem circumdatus erat, et ille mundum habitans, et in terra conuersans, approbatus erat, et tu autem ipsa cum bene agis, carne circumdata hoc facis, etsi doluerit haec audiens, ne subtrahas manum. Non enim morietur, si percusseris, a morte autem eam eripies, etsi dixerit rursus quoniam ille **exacuit**, dic ad ipsam, sed licet tibi **exacui**? multotiens denique detinuisti iram. Si dixerit quoniam speciositas illius

**Commented [ND32]:** uel poterat *add. super lin.*

**Commented [ND33]:** id est confundebat *add. super lin.*

**Commented [ND34]:** [fol.144va]

**Commented [ND35]:** Quoniam non oportet iudicare *notum in marg.*

**Commented [ND36]:** uel aduersus *add. super lin.*

**Commented [ND37]:** uel apertis *add. super lin.*

**Commented [ND38]:** uel iudicare *add. super lin.*

**Commented [ND39]:** [fol.144vb]

**Commented [ND40]:** irritauit *add. super lin.*

**Commented [ND41]:** uel irritari *add. super lin.*

promouit, dic ad eam. Sed potiusti detinere, affer superantes, affer mulierem primam quae dixit. Serpens decepit me. Et non eruta est ab accusatione. Cum autem haec inuestigaueris, nullus adsit, nullus tumultuetur, sed sicut iudices sub uelis sedentes iudicant, ita et tu pro uelis tempus inquire quietis et locum. Et cum a caena surrexeris, et cum ad iacendum iturus es, tunc haec discerne. Hoc tempus aptum tibi est, locus autem lectulus et thalamus, hoc et propheta iussit dicens, quae dicitis in cordibus uestris, in cubilibus uestris compungimini. Et paruorum magnas noxias expete, ut neque prope magna deuenit aliquando. Si hoc feceris, secundum unamquamque diem cum libera propalatione stabis, secus tribunal illud terribile. Ita paulus factus est purus. Propter hoc et dixit. Si enim nosmetipsos iudicaremus, non utique iudicaremur. Ita filios expurgauit iob. Qui enim pro incertis hostias offerebat, multo magis manifestorum noxias expetebat. Sed nos non ita facimus, sed contrarium uniuersum. Simul enim cum adiacendum iuerimus, et uitae huius negotia uniuersa uoluimus. Et hii quidem immundas inducunt cogitationes. Alii autem mutua, et cyrographa, et sollicitudines temporaneas. Et filiam quidem habentes uirginem, diligenter custodimus. Quod autem filia nobis est honorabilius id est anima, hanc dimittimus fornicationem pati, et inquinari decem mille inducentes perniciosas cogitationes, sed etsi lasciuia, etsi pulcritudo corporum, etsi ira, etsi quodlibet aliud intrare uoluerit, ianuas expandentes attrahimus et uocamus, et cum otio cum ipsa misceri permittimus. Quo quid fiet etiam apud barbaros amentius? Animam nobis honorabiliorem omnibus a tantis adulteris conuuium patientem despiciere, et usque tantum cum eis existentem, donec satientur illi? Quod numquam erit. Propter hoc utique cum somnus assumpserit, tunc desistunt. Magis autem neque tunc. Etenim somnia et fantasiae eadem ei ferunt idola. Vnde et die ueniente quae talia imaginabatur anima, et in opus illarum fantasiarum multoties caecidit. Tu autem in pupillam oculorum, neque paruum puluerem intrare sinis. Animam autem congeriem tantorum malorum attrahentem despicias. Quando igitur stercus hoc exhaurire poterimus, quod secundum unamquamque diem recondimus? quando spinas abscidere? quando semina summittere? non nouistis quoniam messis iam instat tempus, nos autem nondum renouauimus areas. Si igitur aduenerit agricola, et incuset, quid dicemus, quid respondebimus? quoniam semina nullus dedit? Et nimirum secundum unamquamque diem haec summittit. Sed quoniam spinas nullus abscidit? et nimirum secundum unamquamque diem falcem acuimus, sed uitae huius necessitates circumattrahunt? Propter quid non crucifixisti te ipsum mundo. Si enim qui quod datum est, reddidit solum, nequam est quia non duplicauit, qui et hoc corrumpit, quid audiet, si ille ligatus delatus est ubi stridor dentium, nos quid patiemur, decem milibus nos trahentibus ad uirtutem, tardantes et pigritantes? Quid enim non sufficiens est te conuertere? non uides utilitatem uitae, incertitudine eius, laborem, sudorem, qui est in presentibus? Numquid enim uirtutem quidem cum labore, malitiam autem sine labore est pertransire? Si igitur et hic et illic est labor, propter quid non hanc elegisti quae multum lucrum habet. Magis autem sunt quaedam uirtutis, quae neque laborem habent. Qualis enim labor est, non accusare, non mentiri, non iurare, iram dimittere proximo. Contrarium immo id est haec facere, est laboriosum, et multam fert sollicitudinem. Quae igitur nobis erit excusatio? qualis uenia neque haec dirigentibus? Ab his enim manifestum est, quoniam et laboriosiora a desidia nos defugiunt, et pigritia. Quae uniuersa excogitantes, fugiamus malitiam, apprehendamus uirtutem, ut et presentibus et futuris potiamur bonis, gratia et filantropia id est amore hominum, domini nostri ihesu christi, cui gloria et imperium in secula seculorum amen.

Commented [ND42]: [fol.145ra]

Commented [ND43]: uel fornicari add. super lin.

Commented [ND44]: imagines add. super lin.

Commented [ND45]: is add super lin.

Commented [ND46]: [fol.145rb]

Commented [ND47]: uel maledicere add. super lin.

Commented [ND48]: uel ob add. super lin.

Commented [ND49]: uel desidiam add. super lin.

Commented [ND50]: pigritiam add. super lin.